

veniente, ad solam Partis petitionem, citationem exequentur; ut post alios citatos observat Christianus in notis ad Bugnionium *De Legibus abrogatis lib. 1. cap. 112.* idque quasi ex tacito & generali Magistratus mandato. Eandem distinctionem in Gallia servari testatur Rebuffus in Tractatu *De Citationibus Glossa 4. num. 8.*

VI. Recte autem monet Zypæus in *Notitia Juris Belgici tit. De in jus vocando*, jussum illud generalem judicis accipiendum esse, ut nihil insolitum habeat: "ideoque (ait) notit extenditur ad citationem quæ faciendâ est per edictum, per tubam, per campaniam, minus per apprehensionem, quæ realis est citatio; nisi forte in flagranti crimine reus deprehensus sit." Idipsum notat Rebuffus loco citato.

VII. Quod in supremis Curis hodie servari tradit Christianus, id & in Curis Ecclesiasticis penè ubique servatur; ut scilicet nemo etiam per Apparitorem citari queat ad personam nisi de speciali mandato judicis; idque & in Gallicanis Curis Ecclesiasticis servatum fuisse usque ad annum 1667. quo prædit Edictum Regium super forma procedendi in causis civilibus coram judice Ecclesiastico; monet Claudius Fleury in Institut. Juris Can. parte 3. cap. 4. & explicat Claudius Horry in Tractatu cui titulus: *Procureur des Officialités* &c. ubi summarie proponit modum instituendi processum seu civilem seu Criminalem in Curis Ecclesiasticis conformiter ad Edicta Regia de annis 1667. & 1670. quorum prius spectat processus in materia Civili & post-rius processus in materia Criminali.

VIII. Ceterum quod in Curis Ecclesiasticis citatio non fiat, nisi de speciali mandato & licentia judicis, forsari vel ideo servatum & ordinatum fuit, ut iudex antequam Partem citari permittat, aliquemve initialem actum judicalem exerceri, prius examinare, & inquirere possit, an questio sine lite terminari amicabiliter non queat; partesque ad concordiam adduci; quod autem omnem citationem juridicam facilius obtineretur; quam ubi per citationem lis aliquo modo inchoata fuerit; & Pars iudicè citata non nihil exacerbata.

IX. Unde merito iudices, præsertim Ecclesiastici, priusquam citationem decernant, expendant, num causa talis sit quæ litem mereatur; & an partes ad amicabilem concordiam ante omnem citationem juridicam adducere nequeant.

X. Hinc consuetudine in hac Universitate Lovaniensi invaluit, ut nullus qui de Consilio Universitatis existat, possit coram D. Rectore citari, etiam de ejus speciali mandato, nisi ei prius libellus supplex Actoris à Rectore prælectus fuerit, petitionemque num contendere, num petitioni Actoris condescendere velit.

XI. Citatio verbalis, quæ hodie usitatissima est, solita fieri per Apparitorem ad mandatum judicis, alia dicitur *privata*; non quod auctoritate privata fiat, sed quia fit ad *privatam* personam Rei, aut ejus domicilium; quemadmodum observat Merula in *Praxi Civili Curia Hollandia lib. 4. tit. 24. cap. 3.*

Alia verò vocatur *publica*, quia *publicè* fit per Edicta Ecclesiæ aliique locis publicis affixa, vel per proclamationem Apparitoris per sonum tubæ, aliove simili signo, Merula ibidem *num. 3.*

XII. Ordinariè citatio fieri debet ad *personam*, si inveniri possit.

Hinc in Ordinationibus Curiarum D. Rectoris & Conservatoris Privilegorum hujus Universitatis confirmatis per Principes nostros Albertum & Isabellam *art. 1.* mandat, "Ut citatio semper ad personam fiat; si commodè reperiri potest, puta intra oppidum, vel pagum existens, & ad eum citatus sit accessus; nec fiat ad domicilium, nisi personam prius questitâ (de quo mentio fiat in relatione) idemque in litterarum aliarum executione observetur.

XIII. Hunc ordinem in Ordinationibus Curia Hollandiæ etiam præscribi notat Merula in *Praxi lib. 4. tit. 24. cap. 15.* monetque clausulam in litteris citatorialibus inseri solitam: *Ad personam citandam aut ejus domicilium*, non intelligi, quasi sit

in arbitrio Apparitoris, num velit citationem facere ad *personam* citandam, an verò ad *ejus domicilium*; sed designari ordinem citationis ab Apparitore servandum; ut nimirum primò inquiretur in personam; & si inveniri nequeat, tunc fiat ad ejus domicilium. Idipsum & in Gallia observatur ex Ordinatione Ludovici XII, quam latè exponit Rebuffus in Tractatu *De Citationibus*; notatque conformiter ad ea quæ habet Merula, ordinem citationis servandum esse, ut nimirum primò persona inquiretur, antequam fiat citatio ad domicilium: monetque id & in Hispania & Italia servari.

XIV. Ibidem Rebuffus *num. 4. § 5.* ait, quòd de consuetudine citatio fieri queat ad personam *Procuratoris*, aut ad ejus domicilium; quod & hic in Belgio obtinet: teneturque Pars si litiget extra locum domicilii, Procuratorem in loco iudicii constituere, cui insinuatio fieri possit: aut domicilium eligere.

XV. Et Damhouderus in *Praxi Rer. Civil. cap. 49. num. 11.* dicit, ante litem contestationem necessum esse, partem ipsam citare ad ipsam personam sive ad ipsius domicilium; sed post litem contestationem sufficere citationem fieri ad personam Procuratoris.

XVI. Notat autem Zypæus in *Notitia Juris Belgici titulo De in jus vocando*, quod citationem ad domum u. s. sufficiat, quamvis Nuntius Reum sive citandum *curiosè foris* non querat.

XVII. Et quidem moribus ferè receptum, ut Apparitor citaturus ad domicilium citandi accedat; & si dicatur à domesticis citandum non esse domi, quòd citra ulteriorem inquisitionem citet ipsum in persona domesticis; & ita servari allerit Rebuffus citatâ *Glossa 3. num. 10.* Et *num. 13.* dixerat, quod hodie sufficit ut Apparitor citandum domi perquirat, licet non alibi, quamvis de jure major inquisitio fieri deberet, ut communiter tradunt Interpretes ad *L. 4. §. PRÆTOR ff. De Damno infecto.*

XVIII. Dum ergo citatio fiat ad domum, insinuatio fieri debet domesticis: quòd si nullus sit domi, tunc citatio declarabitur vicinis, sic ut citatio talis ad ipsius citati notitiam pervenire possit, inquit Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap. 19.*

Hæc forma executionis in plerisque Curiarum Ordinationibus præscribitur; atque in terminis exprimitur in citatis Ordinationibus Curia Rectoralis hujus Universitatis *art. 2. § 3.* his verbis: "Non repertâ verò persona, adhibitaque diligentia, fiat citatio, seu monitio & denunciatio, primò uxori, tum aliis domesticis, vel eorum alicui, prout quisque persona conjunctissimus est, & ibidem reperitur.

"Alioquin nullo domi, vel in vicinia reperto, relinquatur copia ad ostium domus, vel insinuetur vicinis.

XIX. Porò factâ citatione ad domicilium, præsumitur quòd citatio pervenerit ad notitiam citati; quia isti habentes præsumuntur ei dedisse citationis exemplum, & certiore eum fecisse; uti tradit Rebuffus ibidem *num. 2.* additque *num. 4.* quod nec audientur volentes postea probare, non venisse in notitiam illorum: quod & moribus nostris conforme esse testatur Tuldenus in notis ad citatam *Cap. 59.* Damhouderi.

XX. Quæ habenda sit propria domus; & ubi citatio faciendâ sit, si citandus plura domicilia habeat, latè examinat Rebuffus; item Damhouderus locis supra citatis. Et quid de consuetudine obtineat, breviter annotat Merula in *Praxi lib. 4. tit. 24. cap. 15.*

XXI. Ibidem quoque tradit Damhouderus, quomodo communitates, puta Capitula, Monasteria, Civitates &c. citari debeant; & latè Merula in *Praxi lib. 4. tit. 24. cap. 12.* ubi & quæ servanda sint in Citatione Illustrium Personarum breviter exponit.

XXII. Ut autem citandus habeat exactiorem notitiam citationis, possitque probare, ad quam diem, & quo die citatus fuerit, debet Apparitor non tantum litteras citationis coram citando, aut ejus domesticis legere, sed & copiam earum

rum tradere & relinquere sua manu signatam; uti notat Merula loco citato *cap. 14.* & expresse in Ordinationibus Curia Brabantia *art. 386.* injungitur Apparitoribus copias relinquere citationis, & provisionis quam exequentur, citato, vel ejus servitoribus aut familiae, vel easdem affigere ostio domus citati, cum inscriptione primæ diei iudicæ, quam designaverit apparitor, etsi copia petita non esset. *Ende sullen onse voornemde Deurwaerders ghehouden zyn copie te laten van de mandementen, ende provisien die syster executien ghestelt sullen hebben, den ghedaeghde, sijn dienaren ende familie, oft de selve te affigieren aen die deuren van den huysse van den gedaeghden, met insertie van den eersten daghe van Rechte die hy hem beteeckent sal hebben, alwaert oock soo dat die copie niet versocht en waere op arbitrale correctie.* Id est: Et apparitores nostri præfati ex officio tenebuntur mandatorum aut provisionum quas executioni mandaverint exemplar, citato, aut ejus famulo & familiae tradere, aut idem ostio citati affigere, inferendo primam diem instituentis actionis, quam ipsi designaverint, etiam quantumvis dictum exemplar non posceretur. Idque sub pœna arbitraria.

Hæc planè conformia sunt praxi & Ordinationi Regni Gallia; & latè exponit Rebuffus in Tractatu *De Citatione art. 5.* item Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis *tit. De Apparitoribus art. 5.*

XXIII. Vagabundi & qui nusquam habent certum domicilium, vel proprium vel conductum, vel gratis concessum, citantur per publicas proclamationes vel Edicta publica, aut cum authorizatione, ait Damhouderus citato *cap. 5. num. 7.* & post ipsum Zypæus loco supra allegato.

XXIV. Addit deinde Damhouderus: "Sic etiam citantur, qui partem planè deseruerunt, & in alienas regiones sese moturos transulerunt, sed eam citationem per authorizationem convenit fieri in loco, ubi ultimè habitaverunt, aut frequentant, debetque illis dies comparitionis insinuari in finibus patriæ, & in loco quantum fieri poterit ipsis maxime vicino.

XXV. Hoc tamen notandum, quod si citandus in patria habeat Procuratorem, factorem sive bonorum suorum administratorem, ei debeat fieri insinuatio citationis, idque cum eo temporis intervallo, ut principalis de citatione possit commode informari. Item si per edictum fiat citatio, debet tamen citato (si sciat ubi moretur) mitti per litteras copia citationis; ut conformiter ad Ordinationes Curia Hollandiæ tradit Merula loco citato *cap. 16.* & præscribitur in Ordinationibus Curia Brabantia *art. 388. § 389.* Vide etiam Edictum Caroli V. de 11. Jan. 1557. item Ordinationes Parlamenti Mechliniensis *tit. De Apparitoribus art. 4.*

XXVI. His & conformes sunt Ordinationes Curiarum D. Rectoris & D. Conservatoris hujus Universitatis; ubi *art. 6.* ordinatur: "Non fiat citatio per edictum, nisi prius consulerit de non tuto vel facili accessu ad personam, vel ad domum, seu domesticos, nec decernatur vel admittatur facta per edictum citatio, nisi persona citanda latitet, aut nesciatur ubi sit.

XXVII. Deinde *art. 7.* "Cum fiet per edictum citatio, fiat ad Ecclesiam Parochialem loci habitationis Citandi, si, ve ubi in eo oppido vel pago edicta fieri vel affigi solent, vel in casu non tuti accessus, ad Ecclesiam sive locum propinquorem ut ad notitiam Citati facillimè queat pervenire citatio, insinuatione eidem per epistolam factâ, sive Pastori, ut denunciet excommunicationem, si litteræ fuerint excommunicatoriales.

XXVIII. Rectè autem monent circa litteras excommunicatorias: *art. 8.* ut, tamen non dentur, nisi citatione prius factâ in personam, vel aliâ ex evidenti contumacia, & quo casu non suppetunt alia remedia juxta Concilii Tridentini Decretum.

XXIX. Ut reus sive citatus melius deliberare queat, num cedere, num litigare velit, debet ipsa petitio, sive libellus Actoris ad cuius instantiam citatio fit, ipsis litteris citatorialibus saltem summarie inseri; tum etiam, ut ex ipsa citatione intelligere & deliberare queat, utrum ex justa causa, & coram legitimo

Judice &c. citatus sit. Quod specialiter Edictis Principum nostrorum cautum esse in citatione laicorum ad tribunal Ecclesiasticum notavimus *tit. 1. cap. 2.* & generaliter in omni citatione requirit Constitutio Ludovici XII. Regis Gallia; quam explanat Rebuffus in citato tractatu *De Citatione art. 3.* & in Belgicis Tribunalibus observari tradit Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap. 55.*

XXX. Hinc & in citatis Ordinationibus Curia Rectoralis & Conservatorialis, *art. 9.* dicitur: "Mittatur libellus cum executore citaturo, ut tantò melius possit deliberare, rean contendere velit: & si contendendum putet, instruere possit summum Procuratorem: aut saltem litteræ monitoriales, tam clarè & planè monitionem Actoris, causamque debiti contineant, ut Reus deliberare, seseque instruere possit.

XXXI. Interdum non tantum causa citationis, aut summaria Actoris petitio Reo exhibetur; sed subinde cum lites communicatorie, ut vocant Pragmatici, instruantur, libello Juridici oblato, Judex in margine ejusdem libelli decernit, ut desuper adversarius ad certum diem respondeat, itque libellus, cum decreto per Nuntium adversario porrigitur: eodemque ulterius modo ea lis peragitur, ait Zypæus in *Notitia Juris Belgici De Edendo.*

XXXII. Factâ citatione, debet Nuntius sive Apparitor dare relationem ei ad cuius instantiam citationem fecit: eique totam citationis seriem inferere, exprimendo diem, quin subinde & horam factæ citationis, & in quem diem citaverit; an ad personam, an ad domicilium; quibus è domesticis, aut vicinis eam insinuaverit; quid responsum retulerit; & generatim quæ in ipsa citatione contigerunt; quemadmodum latè exponit Merula in *Praxi Curia Hollandia lib. 4. tit. 25. cap. 1.* & Rebuffus in Tractatu *De Citatione art. 5. Glossa 5.* & in omnium passim Curiarum Ordinationibus præcipitur.

XXXIII. Ad hæc ne Citatus præceptis & non satis instructus in iudicium trahatur, & in litem incidat, dandus est Citato terminus sive dilatio aliqua; eaque longior vel brevior, ratione habitâ causarum, personarum, ac præcipue distantia domicilii ipsius Citati à loco iudicii, quemadmodum passim in omnium Curiarum Ordinationibus exprimitur; ac nominatim in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis *tit. 9. art. 9.* "Et quo facilius Partes ante litem ingressum concordare, vel transigere, vel serio cum Advocato suo de causa deliberare possint, antequam præcipites in litem incidant, unde postea difficilior se extricent, ac denique res suas tempestivè ad comparandum sitato tempore componere, certa intervalla temporum, inter diem factæ executionis, & terminum ad comparandum servientem & præfixum, servari volumus. Utpote, si ad iudicium primâ citatione evocatus, domicilium in civitate, aut intra milliarem ab eo soveat, tres dies inter medios, & liberos; si vero moretur extra civitatem & milliarem, intra tamen sex, septem vel octo milliaria aut circiter, octo dies inter medios & liberos habeat; si verò ultra octo milliaria, aut circiter, habeat, duodecim dies modo præscripto, nisi natura citationis, & qualitas causæ breviora requirat intervalla; præsertim in causis officii ubi de impediendis aut emendandis excessibus, agitur. In ulterioribus autem citationibus dies breviores, competentes tamen, assignari poterunt.

Et *art. 10.* additur: "Et si contingat terminum citationis incidere in diem festum, vel non iudicium, serviet citatio de iudicia proxime sequenti.

## CAPUT III.

## De Libelli oblatione &amp; litem contestatione.

- 1 Quid libellus conventionalis.
- 2 Libellus iudicis offerendus, & auctoritate iudicis Reo communicandus.



- 3 Libelli conventionales olim in judiciis Ecclesiasticis incognitis, presertim in causis Civilibus.
- 4 Etiam ante Justinianum Imp.
- 5 Glossographus id restringit ad causas modicas & viles.
- 6 Hæc limitatio parum conformis pristinae disciplinae.
- 7 Libelli conventionales unâ cum stylo forensi in judiciis Ecclesiasticis intrant.
- 8 Quomodo distinctio Glossæ inter causas arduas & leviores, in quibus summarie est procedendum, sit recepta.
- 9 Quæ sint causæ leviores summarie decidende.
- 10 Libellus quâ formâ concipiendus.
- 11 Quoad obligationem & formam concipiendi libellum stylus Curiarum Ecclesiasticarum coincidit cum stylo Curiarum Civilium.
- 12 In formatione libelli præcipue attendenda conclusio.
- 13 Si citatus conclusum Actoris non censcat annuendum, sequi solet litis contestatio, & quid hæc sit.
- 14 Jure Decretalium propositiones & responsiones ad eas non inducuntur litis contestatio.
- 15 Ratio istius juris.
- 16 Processus defectu litis contestationis irritus est.
- 17 Quomodo de praxi hodierna inducatur litis contestatio.
- 18 Primitus in judiciis Ecclesiasticis solemnitas litis contestatio usitata non fuit.
- 19 Nec hodie in summariis requiritur.
- 20 Operandum ut causæ Ecclesiasticæ summarie absolventur.
- 21 Per litis contestationem iudicio incubato lis defectu ipso jure transit in hæredes, secus de moribus hodiernis.

**L**ibelli conventionalis de quo hic agitur, & sub titulo Decretalium De Libelli Oblatione, describitur à Doctoribus post Glossam ad Cap. de Libelli Oblatione, scriptura in qua continetur res quæ petitur, & causa petendi & nomen Actoris & coram quo iudice.

II. Hinc ibidem infert Glossographus, quod semper fit offerendus libellus iudici; & per ipsum Reo, ut ipse Reus possit deliberare; quemadmodum dicitur in Auth. OFFERTUR Cod. De Litis Contestat. quam refert Gratianus *caus. 5. qu. 3.*

III. Verùm libellos conventionales, in causis præsertim Civilibus, coram iudicibus Ecclesiasticis olim fuisse ignotos, constat ex *Novella 67. Justiniani*, quam verbis Juliani Antecessoris retulit Gratianus in *Can. 45. caus. 1. qu. 1.* ubi dicitur: „Ubi autem Episcopus causam dirimere vult sine scriptura omnia procedant, & diffinitiva sententia sine scriptis ab eo proferatur.

IV. Neque id primum à Justiniano esse constitutum, sed etiam ante Justinianum fuisse regulariter scripturam denegatam iudicibus Ecclesiasticis, ex *L. 41. Cod. Theod. de Episcop. & Clericis* colligi notat Janus A Costa in Summario tituli Decretalium De Libelli Oblatione: additque: „Nec temere olim solemnitas iudiciorum Civilium vel publicorum usurpavit Ecclesia.

V. F. teur ibidem Glossographus loco citato, quod allegatus *Canon 45.* velit à iudice Ecclesiastico causas esse dirimendas sine scriptura; sed id credit obtinere in modicis & vilibus causis, ut in his scriptura non requiratur.

VI. Verùm id à sensu Justiniani & disciplina illius ætatis est plane alienum. Neque enim illius distinctionis vel vestigium in Legibus Justiniani, aut ætatis illius Canonibus extat.

VII. Dicendum ergo, quod quamdiu iudicia Ecclesiastica sine strepitu forensi & formulis publicorum & Civilium iudiciorum peracta sunt, nihil de solemnitate quoque libelli exhibitione aut oblatione cautum fuerit; sed simplex petitio seu expositio suffecerit: at postquam ad normam forensium iudiciorum ipsa Ecclesiastica iudicia formari cœperunt, non amplius simplex questionis ac controversiæ expositio suffecerit; sed libellis, æquè atque in iudiciis Civilibus, operis fuit.

VIII. Hodie de jure Decretalium, & moribus recepta est sententia & distinctio Glossographi, ut nimirum in iudiciis Ecclesiasticis, ubi de re ardua agitur in plenario iudicio, requiratur libellus in scriptis iudici offerendus: in levioribus ac brevioribus causis summarie absolvendis, non sit necesse libellum scripto tradi; sed sufficiat Actoris petitionem coram

ram iudice nudè proponi; eamque Actis continè inferri, ut re postea exigente, ejus copia haberi possit, *Clem. SÆPE §. VERUM De V. S.* quod & tribunalibus civilibus servari notat Damhouderus in *Praxi rerum Civil. cap. 100.* & latius Nicolaus Tuldenus ibidem in notis.

IX. Causas leviores, in quibus summarie sit procedendum juxta præscriptum citatæ Clementinæ *sæpe*, declarant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechl. tit. 11. art. 1. esse, si in causa civili pecuniaria summa petita non excedat quatuor libras flandricas, atque in causis officii excessus minores; „Nec ulli articuli ( nisi propter personarum qualitatem, vel delicti circumstantiam Officialis aliter faciendum decreverit ) exhibentur: sed Advocati utrimque causam verbaliter exponunt, conclusio tamen summarie, & pertinenter cum debitis circumstantiis verbaliter capta, & responsio replica duplici verbaliter subsequatur, actis paucissimo verborum relatu contentuò inferentur, & Judex sententiam mox proferet, si res liquet.

X. Ex *Cap. 2. & 3. de Libelli oblat.* colligunt Doctores post Glossam, quod si agatur actione reali five rei vindicatione exprimentam, esse rem quæ petitur, & utram petatur totum, an pars: aliàs enim Reus deliberare non possit. In hac tamen actione non esse exprimentam causam: „Causa enim (ait ibidem Glossa) expressa est eo ipso quod ponitur rei vindicationem. Causa enim non est alia nisi ipsa dominium, cum dicitur rem ad se pertinere jure domini vel quasi. Si autem agatur actione personali, ut si petas decem dari tibi, causa petendi exprimentam est in libello; aliter enim respondere non tenetur. Ita glossographus, qui latius ibidem prosequitur, quomodo causa & res petita sint in libello exprimentam; & an causâ unâ expressâ, possit eandem rem postmodum petere ex alia causâ; item an libellum semel oblatum mutare possit.

XI. Cæterum stylus Curiarum Ecclesiasticarum quoad oblationem libelli ejusque formam hodie penè per omnia coincidit cum stylo Curiarum civilium. Unde merito in hac materia consuluntur Interpretes Juris Civilis ad titulum Digestorum & Codicis De Edendo; ac præsertim Pragmatici, qui annotant stylum & consuetudines singularum Curiarum quæ informatione libellorum attendi debent.

XII. Illud autem uno consensu nonent, in formatione libelli maxime attendendum esse, ut conclusio sit apta, paucis & claris ac intelligibilibus terminis expressa; nihil habens obscuri, nec conditionale, generale, vel alternativum; & qua ipse iudex & pars adversa possint facile intelligere petitionem & intentionem Actoris. Vide Damhouderum in *Praxi rerum civilium cap. 101. & 102.* & Notas Nicolai Tuldeni. Imò tamen si consuetis actionum formulis in concipiendo libello usus non sit, nequaquam tamen inde libellus de nullitate argui poterit, dummodo ipsa conclusio ritè sit concepta; atque ipsum factum & rei veritatem ita proponat, ut quid sibi aut præstari petat, intelligi possit ita ut si inepta sit narratio & conclusio apta libellus sustineatur, quod conclusio reliqua amplius restringat, aut exponat.

XIII. Si reus ad diem citationi præfixum in iudicio compareat, & visâ ac examinata Actoris petitione iudicet non esse annuendum Actoris libello; sed petitioni five conclusioni Actoris absolute resistendum, tunc solet sequi litis contestatio; quæ est Rei ad Actoris, vel contra Actoris ad Reipetitionem principalem, negando vel affirmando coram iudice purè facta responsio animo contestandi litem. *Cap. unico de Litis contestation.* & ibidem tradit Glossa.

XIV. In citato Capitulo dicit Gregorius IX. quod quemdam processum de Fratrum suorum consilio irritum duxerit nuntiandum: quia quamvis positiones & responsiones hinc inde super pluribus articulis factæ fuerint coram iudicibus: quia tamen litis contestationem non invenit factam: „Cum (ait) non per positiones & responsiones ad eas, sed per petitionem in jure propositam, & responsione

tionem secutam litis contestatio fiat. „Eadem sententia occurrit in *Cap. 54. §. PARTIBUS de Elect.* cujus verba asumpsit Gregorius in hac Constitutione, ut observat Cujacius ad dictum *Cap. Unicum.*

XV. Cur per positiones & responsiones ad eas non inducatur litis contestatio scribit Glossographus ad citatum *Cap. Unicum*: „Qui enim ponit aliquid dictum vel factum, nihil peto, ut ab adversario: nec etiam ostendit, se per hoc velle agere: & ita non possit per hoc fieri sententia condemnationis vel absolutionis, cum nihil peritum sit per positionem, sed ostenditur esse factum, vel dictum seu promissum.

XVI. Ex eodem Pontificis Responso statuunt Canonistæ post Glossam sine litis contestatione processum esse irritum declarandum, tamquam fundamento & capite carentem.

XVII. Hodie in iudiciis effectum litis contestationis habet prima qualicumque responsio Rei de causa principali, teste Tuldeno in Codice De Litis contestatione *numer. 3.* asseritque de simili Germania usu testari *Myns. Cent. 4. Observatio. 62.* Vide latius Bugnionium De Legibus abrogatis *lib. 2. cap. 185. & lib. 3. cap. 121.* & ibi notas Christianei.

XVIII. Solemne & formale litis contestationem olim in iudiciis Ecclesiasticis, quando forma arbitrorum potius quam iudiciorum servabatur, necessariam non fuisse, ipsa iudiciorum forma tunc servata probat.

XIX. Udem in *Clem. SÆPE De V. S.* expressè sancitur sub nomine Clementis V. in Concilio Viennensi, quod si in causis aliquibus simpliciter, & de plano procedi mandetur, ut iudex cui taliter causa committitur, necessariò libellum non exigat, *litis contestationem non postulet.* Hic procedendi modus hodie vocatur *summarie & de plano*, multumque ad pristinum iudiciorum Ecclesiasticorum ordinem accedit.

XX. Optandum esset, ut ad abbreviandas lites hic procedendi modus, præsertim in Curis Ecclesiasticis sæpius, etiam de consensu Partium servaretur. Non licet quidem Partibus ordinem juris suo arbitrio moderari, ut observat Tuldenus in Codice loco citato *numer. 5.* „Si verò (ait) iudicis arbitrio id commiserint, poterit is, solemnitatibus juris omnibus, de sola facti & juris veritate inquirere & pronuntiare: valebitque id non in vim pacti, quippe in quod consensu Partium convalescere etiam possit sententia ipso jure invalida.

XXI. Cum per litis contestationem lis videatur formata, atque de jure communi quasi contractum inter Partes, receptum quoque fuit eodem jure, ut si alteruter litigantium lite pendente ante causæ conclusionem moriatur, lis cœpta ad hæredes defuncti activè & passivè ipso jure transmittatur *L. 33. ff. De Fideiussorib. L. 19 ff. De Judiciis.* Sed moribus nostris introductum est, ut Rei defuncti hæres de novo conveniatur ad hoc ut litem reassumat, & ex postremis retroactis cum Actore ulterius procedat, aut Actori cedat quod petitur. Idemque ex parte rei, si Actoris hæres liti renuntiatus putet, aut ejus inter sit, absolutoriam sententiam prosequi.

Ratio hujus praxeos videtur, ne quis invitus agere aut litigare per indirectum videatur: quæ ratio subtilitati juris Romani, quæ per litis contestationem quasi contractum intervenire fingebat, prævaluit.

CAPUT IV.

De Juramento calumniæ & Dilationibus.

- 1 Juramentum calumniæ à litigantibus in exordio litis præstari voluit Justinianus Imp.
- 2 Caveat ne quacumque occasione emitteretur.
- 3 Ratio hujus enixa volumari.
- 4 Rarior hodie est hujus juramenti usus in Curis secularibus.
- 5 In Gallicanis Curis Regis non præstari testatur Rebuffus.
- 6 In quibusdam Conciliis Belgicis non jurari de calumnia testatur Damhouderus.

- 7 Ratio abrogationis hujus juramenti.
- 8 Juratur etiam hodie durante processu in Curis secularibus de malitia.
- 9 Quid inter hoc juramentum & juramentum de calumnia intersit?
- 10 Juramentum illud de malitia vocatur hodie de calumnia; & quid intersit inter jus Romanum & hodiernum usum Curiarum secularium?
- 11 In Curis Ecclesiasticis observatur quoad hoc juramentum dispositio Juris Pontificii.
- 12 Respondit Eugenius III. Canones nulli hoc juramentum imponere.
- 13 Responsum illud ad causas spirituales restrinxit Raymundus Decretalium Gregorii IX. compilator.
- 14 Ex dispositione Juris Pontificii initio litis debet jurari de calumnia.
- 15 Si in exordio litis non sit præstitum, potest postmodum exigi.
- 16 Ob obmissum tacite hoc juramentum processus non est irritus aus irritandus.
- 17 Hoc juramentum tacite censetur remissum, si à parte non exigatur.
- 18 Præstito in exordio litis juramento de calumnia, potest in progressu litis exigi juramentum de malitia.
- 19 Nec in Curis Ecclesiasticis hodie distinguitur juramentum de malitia à juramento calumniæ.
- 20 Hodie etiam in causis spiritualibus juratur de calumnia.
- 21 In iudiciis quoque summariis.
- 22 Pœna reculantis hoc juramentum.
- 23 Quid contineat hoc juramentum, & quomodo exponi debeat Partibus indicitur.
- 24 Quâ ratione Imperatores Clericis hoc juramentum remiserint?
- 25 Ex Constitutione Henrici II. Imp. probata in Cap. 1. de Juram. calumniæ potest hoc juramentum à personis Ecclesiasticis præstari per Procuratorem nisi iudex aliud judicaverit.
- 26 Non debet præstari à Procuratore nisi bene instructus.
- 27 Ex Dispositione Juris Pontificii Episcopus juramentum hoc præstare nequit nisi consulto R. Pontifice; nec Clericus inconsulto Episcopo.
- 28 Quoad Episcopum id in defectu animi abesse notat Glossa.
- 29 Quid hodie circa Clericos obtineat?
- 30 Lites contestatæ, & præstito juramento calumniæ, solet dari dilatio, & quid sit dilatio?
- 31 In qualibet parte litis solem dari dilationes, & earum termini de jure Civili erant determinati & fixi.
- 32 Jure Canonico dependent ab arbitrio iudicis.
- 33 Decisio Juris Canonici conformis est hodiernæ praxi.
- 34 Quo sensu dilationes hodie dicantur dependere ab arbitrio iudicis.
- 35 Nec iudices hic exorbitent, termini dilationum in Ordinationibus Curiarum solent exprimi.
- 36 Quæ dilaciones dande in provisione manutentionis?
- 37 Moderatio terminorum sive dilacionum ex Ordinationibus Curiarum Eccles.
- 38 Iudicis est superfluas dilaciones amputare, ob damna quæ Partibus hinc obveniunt.
- 39 Abbreviationem dilacionum præscribunt Ordinationes Curiarum.
- 40 Causis requirentibus celerem expeditionem breves termini assignandi.
- 41 Causæ possessoriae super Beneficiis celeriter expedienda.
- 42 Causas Monachorum voluit Justinianus accelerari, & quare.
- 43 Solent in Curis Ecclesiasticis citato dari tres dilaciones ad comparandum, & quid perdat, si ad primam non compareat.
- 44 Quis effectus non comparationis infra secundam dilacionem.
- 45 Quid si nec infra terminum tertiam compareat?
- 46 Concilium Tridentinum desideravit ut lites celeriter terminarentur; idque saltem intra biennium, permittens post lapsum biennii recursum ad iudicem superiorem.
- 47 Eisi hodie rarus sit hujus Decreti usus, tamen constat, Concilium optasse, ut Fideles, ac præsertim Ecclesiastici, celerim liti bus eximantur.
- 48 Quæ sit praxis in Gallia, dum iudex in causis decidendis est morosus?

**I.** Justinianus Imperator intendens Litigantes à calumniosa liti prosecutione avertere, voluit, *L. 2. Cod. De jurejurando propter calum.* ut ipsæ personæ Litigantes, id est actor & reus in primordio litis jurent: & actor quidem juret, Non calumniandi animo litem movisse, sed existimando bonam causam habere. Reus verò non aliter liti allegationibus utatur, nisi prius & ipse juraverit, quod putans se bonâ instantiâ uti, ad relinendum per venerit.

II. Addit